



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

Qvæst. 1. Quid sint æquiuoca, vniuoca, & denominatiua.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

possit naturaliter separari, erunt distinctæ species. Probat-
tur consequentia à pari.

Confirmatur ulterius, quia accidentia inseparabilia emanant aliquo modo è subiectis suis, & connaturaliter exiguntur ab ipsis, alia vero accidentia separabilia non ita emanant, nec ita connaturaliter exiguntur, ergo alio modo conueniunt subiectis, & consequenter diuerso modo sunt prædicabilia de subiectis.

Coniungitur tertio, quia nihil impedit quominus accidens quinti prædicabilis ut sic, sit species subalterna, continens sub se plures species distinctas, ut patet ex dictis supra disp. 4. num. 111. quæ etiam ut confirmant hanc doctrinam, ita confirmantur per illam. Et hæc de Prædicabilibus sufficiant ad Dei gloriam. Amen.

TRACTATUS DE

PRÆDICAMENTIS,

SEV CATEGORIIS ARISTOTELIS.

QUAMVIS aliqui de auctore libri Prædicamentorum, seu Categoriarum dubitauerint, supponendum tamen cum Doctoribus communiter, eum non alium esse, quam Aristotelem, Peripateticæ Scholæ Principem, de cuius patria, ingenio, vita superfluum videbatur quidpiam hic scribere, tum quod omnibus nota sit, tum quod nihil prorsus conducant ad acquirendam Logicæ aut Philosophiæ notitiam. Agitur autem in hoc tractatu principaliter de decem classibus seu coordinationibus rerum, in quibus res omnes, creatæ scilicet, continentur aliquo modo, seu de rebus omnibus, secundum quod subicibiles & prædicabiles sunt de se inuicem ut vel ex ipso nomine seu inscriptione patet, nihil enim aliud est prædicamentum, seu categoria, quam talis coordinatio rerum inter se. Vnde cum hic Liber inscribatur de Prædicamentis seu Categoriis, quarum numerus est decem, dicendum est obiectum & materiam, circa quam versatur, esse decem classes seu coordinationes rerum secundum subicibilitatem & prædicabilitatem: nec est necesse quod omnis tractatus doctrinalis habeat pro obiecto seu materia, circa quam versatur, aliquod obiectum per se vnum, ad quod cætera ordinentur: nam et si hoc fortassis verum sit de qualibet scientia totali ex illis, quæ de facto tradi solent, tamen non est necesse ut quicumque tractatus particularis spectans ad talem scientiam habeat aliquod vnum per se pro obiecto adæquato.

Quod confirmatur sufficienter ex eo, quod si quis vellent instituire vnum tractatum de parvis naturalibus, non esset necesse ut haberet pro obiecto aliud, quam ipsa parua naturalia, quæ vnum non sunt, sed plura, & quidem disparata.

Si quis tamen velit aliquod vnum assignare pro obiecto, dicat esse coordinationem rerum ut sic secundum subicibilitatem & prædicabilitatem, abstractam ab iis decem coordinationibus.

Diuiditur autem hic tractatus communiter in tres partes, quarum prima est de Antepredicamentis; secunda de Prædicamentis; tertia de Postpredicamentis appellatur: de quibus hoc ipso ordine disputationibus sequentibus agemus.

DISPUTATIO X.

DE ANTEPRÆDICAMENTIS.

IN hac disputatione agemus de aliquibus, de quibus egit Philosophus ante ipsam prædicamentis, quæque propterea Antepredicamenta vocantur.

QVÆSTIO I.

Quid sint Equiuoca, Vniuoca, & Denominatiua.

1. Tota difficultas huius quæstionis consistit in explicatione earum descriptionum, quas dedit ipsemet Philosophus, & omnes Doctores communiter admittunt, circa quam explicationem nulla videtur esse posse realis controuersia, sed solummodo vere nominalis.

Aduertendum autem breuiter Equiuoca alia esse *equiuocantia*, alia *equiuocata*; & similiter Vniuoca alia esse *uniuocantia*, alia *uniuocata*; & Denominatiua alia esse *denominatiua*, alia *denominata*.

Equiuoca equiuocantia sunt nomina illa, quæ de pluribus dicuntur secundum diuersam rationem, ut nomen Gallus dicitur de homine nato in Gallia, & de animali, quod dicitur gallus gallinaceus. *Equiuoca equiuocata* sunt illa plura, de quibus dicitur vnum nomen secundum diuersam rationem.

Vniuoca uni-uocantia sunt nomina illa, quæ dicuntur de pluribus secundum eandem rationem, ut homo dicitur de Petro & Paulo, equus de hoc & illo equo. *Vniuoca uni-uocata* sunt illa plura, de quibus vniuoca uni-uocantia dicuntur, ut Petrus & Paulus respectu hominis.

Denominatiua denominantia sunt illi termini, qui dicuntur de pluribus modo inferius explicando: & *denominatiua denominata* sunt illa plura, de quibus dicuntur illi termini.

CONCLUSIO I.

2. Bene describuntur Equiuoca equiuocata esse, quorum nomen commune est, ratio vero substantia secundum nomen diuersa. Ita cum Aristotele hic omnes Peripatetici.

Probat, quia omnibus & solis æquiuocis competit, declaratque eorum, qua talia sunt, naturam absque superfluitate. Dicitur, *quorum nomen commune est*, quia hic agitur de ipsis, ut habent nomen sibi commune, in quo conueniunt cum vniuocis. Dicitur, *ratio vero substantia secundum nomen diuersa*, per quod distinguuntur ab vniuocis ac denominatiuis. Sensus autem est, quod ratio, significata per nomen illud commune, non sit eadem, sed diuersa ita, ut si explicetur significatio nominis, quatenus dicitur de vno ex æquiuocatis, explicatio sit diuersa ab illa quam habebit, ut dicitur de aliis æquiuocatis, verbi gratia homo natus in Gallia, & gallus gallinaceus sunt æquiuoca æquiuocata respectu nominis Galli; de quolibet enim ex illis dicitur, quod sit Gallus: sed si explicetur quid significat Gallus, ut dicitur de homine nato in Gallia, explicabitur sine dubio diuerso modo, ac explicandum est quid significat, quatenus dicitur de animali illo irrationali, quod dicitur gallus. Idem est de homine vero, & picto, quæ sunt equiuoca æquiuocata respectu vocis homo, & de vrina ac medicina respectu vocis sana.

3. Ex hac definitione æquiuocorum æquiuocatorum, facile formari potest definitio æquiuocantium, quam propterea non curauit proponere Philosophus, sunt enim æquiuoca æquiuocantia illa nomina, quæ dicuntur de pluribus habentibus diuersam substantiæ rationem, quatenus significantur per illa nomina, seu quæ dicuntur de pluribus, secundum diuersam tamen significationem, ut Gallus, ridere.

Si autem quæzatur; an nomeu æquiuocum sit vnum nomen, an multiplex, dicendum quod sit absolute & simpliciter vnum nomen, quamuis habeat multas significationes: sicut enim qui habet multas scientias non dicitur multi scientes, sed vnus sciens: ita vna vox, licet habeat multas significationes, non debet dici multæ voces, nec multa significatiua, sed vna vox & vnum significatiuum.

4. Obiicitur: æquiuoca non possunt definiri secundum Philosophum 6. Top. cap. 2. & ratio est, quia definitio est ratio vna: sed æquiuoca non habent vnā rationem, sed multas ac diuersas rationes, & consequenter nequeunt definiri vnica definitione, quæ cuiuslibet ex ipsis conueniat: ergo æquiuoca non bene definiuntur prædicta definitione quæ eam non possunt definiri, nequeant definiri bene.

Respondetur

Quid sit
obiectum
huius tra-
ctatus.

Quid
æquiuoca
æquiuoca

Quid
æquiuoca-
sum

Quid uni-
uocū uni-
uocans.

Quid uni-
uocū cum uni-
uocatum.

Quid de
nominati-
uum deno-
minans.

Quid de-
nominatiua
denominata-
tum.

Descriptio
æquiuoca-
rum.

An nomen
æquiuoca
sit vnum
vel multi-
plex.

Respondeo distinguendo antecedens breuiter: secundum quod significantur per nomen ipsi æquiuoce conueniens, aut secundum rationes significatas per illud nomen, concedo antecedens; secundum quod significantur per nomen ipsi vniuoce conueniens, & secundum rationem significatam per tale nomen, nego antecedens: nec id voluit Philosophus. Itaque omnia illa, quæ dicuntur æquiuoca, conueniunt in hoc nomine æquiuoca, & in vna ratione significata per hoc nomen, nam prorsus ob eandem rationem dicuntur gallus gallinaceus, & homo ortus in Gallia æquiuoca æquiuocata, ob quam medicina & vrina dicuntur æquiuoca æquiuocata, & sic de cæteris æquiuocis æquiuocatis. Vnde omnia, quæ dicuntur æquiuoca æquiuocata, possunt definiti vnica definitione declarante rationem illam vnam significatam illo nomine æquiuoca æquiuocata; quod nomen vniuoce conuenit omnibus talibus æquiuocis non minus, quam nomen homo conuenit Petro & Paulo; aut saltem non minus, quam omnia in diuidua conueniunt in ratione indiuidui vt sic, & omnes differentie in ratione differentie vt sic.

Rursum omnia illa, quæ dicuntur æquiuoca æquiuocata, conueniunt in aliquo alio nomine, quod habet diuersas significaciones vt dicitur de ipsis, & quod consequenter dicitur de ipsis, non vniuoce, sed æquiuoce, & est nomen æquiuocum denominatiue, non essentialiter, & secundum quod significantur hoc nomine, non possunt definiti vna definitione, quia nec habent vnica rationem, sed plures rationes, vt patet ex dictis.

4. Dices: nomen æquiuocum, vt æquiuocum, debet æquiuocè conuenire illis de quibus dicitur: ergo si plura, vt significantur nomine æquiuocè conueniente, nequeant definiti, non poterunt definiti, vt significantur nomine æquiuoco, vt æquiuoco; & consequenter non satisfaciunt prædictæ responsio objectioni.

Respondeo distinguendo antecedens: nomen æquiuocum denominatiue, vt æquiuocum, id est illud, quod propterea denominatur æquiuocum, quia habet diuersas significaciones, debet conuenire æquiuocè illis, de quibus dicitur, concedo antecedens: & sic nomen *canis*, quod denominatur æquiuocum respectu terrestris & marini animalis, quia, vt dicitur de ipsis, habet diuersas significaciones, debet æquiuocè ipsis conuenire: nomen æquiuocum essentialiter, id est illud nomen, quod est impositum ad significanda alia nomina, quæ secundum diuersas rationes dicuntur de multis, debet æquiuocè conuenire illis, de quibus dicitur, nego antecedens.

5. Itaque hoc nomen æquiuocum constans his litteris *a. q. v. & c.* & quodcumque aliud nomen, quod esset sic institutum ad significandum aliud nomen, quod secundum diuersas rationes diceretur de multis, est nomen æquiuocum essentialiter, quatenus institutum est, & conuenit vniuoce omnibus nominibus, quæ dicuntur de pluribus secundum diuersam rationem; nomina vero illa, quæ non sunt instituta ad significanda alia nomina, quæ dicuntur de pluribus secundum diuersas rationes, dicuntur denominatiue & non essentialiter esse æquiuoca, & debent æquiuocè solum dici de pluribus, quatenus denominantur æquiuoca. Quia ergo nomen *canis* non est impositum ad significandum aliud nomen commune pluribus secundum diuersam rationem, sed est impositum ad significandas plures res secundum diuersas rationes, de quibus pluribus rebus dicitur, propterea est nomen æquiuocum denominatiue. Et quia hoc nomen æquiuocum est impositum ad significandum quodcumque nomen, quod dicitur de pluribus secundum diuersam rationem, & ipsummet non dicitur de pluribus secundum diuersam rationem, propterea dicitur esse essentialiter æquiuocum, & potest dici denominatiue vniuocum, sicut homo potest dici nomen æquiuocum respectu Petri & Pauli.

Iuxta hoc potest responderi ad objectionem principalem aliter, etiam distinguendo antecedens: æquiuoca, vt significantur nomine essentialiter æquiuoco, nego antecedens: vt significantur nomine, quod est tantum denominatiue æquiuocum, concedo antecedens: & ratio responsionis patet ex iam dictis, quia vt significantur nomine

æquiuoco essentialiter, habent eandem rationem saltem proportionaliter, & propterea, vt sic, possunt definiti, aut saltem describi, sicut omnia indiuidua possunt describi; vt significantur autem per nomen denominatiue æquiuocum, habent diuersas rationes, & propterea nequeunt vnica definitione definiti.

CONCLUSIO II.

6. Bene definiuntur vniuoca vniuocata esse illa, quorum nomen commune est, ratio vero substantia secundum nomen eadem. Hæc est etiam communis cum Philosopho hic. Probatur, quia omnibus & solum vniuocis conuenit illa ratio, declaratque eorum naturam. Dicitur autem quorum nomen commune est, quia in hoc conueniunt cum æquiuocis; dicitur ratio vero substantia eadem secundum nomen, vt distinguantur ab æquiuocis, in quibus ratio substantia nomini accommodata, seu significata per nomen; est diuersa seu multiplex, non vna.

Ex hac definitione non erit difficile formare definitionem vniuocorum vniuocantium: sunt enim illa nomina, quæ conueniunt pluribus secundum eandem rationem, vt nomen *homo* conuenit Petro & Paulo, vel si placet rebus ipsis & non vocibus accommodare hanc definitionem, dicatur quod vniuoca vniuocantia sint illi conceptus obiectiui vni, qui conueniunt pluribus, vt conceptus obiectiuus hominis, qui est vnus, conuenit Petro & Paulo.

Adverte autem non sufficere ad vniuocationem aliquid quorum in nomine, quod habeant vnum conceptum obiectiuum sibi commune, sed requiri vterius, quod ille conceptus significetur nomine, quod dicitur vniuocum, aut respectu cuius dicuntur illa plura esse vniuoca. Hinc canis terrestris & marinus non sunt vniuoca in nomine canis, licet conueniant vniuoce in ratione animalis, quia illa ratio non significatur nomine canis.

7. Obicitur primo: nomen album est vniuocum huic & illi albo; & tamen non conuenit ipsi definitioni prædictæ vniuocorum: ergo non est bona. Probatur minor, quia hoc & illud album non conueniunt in illo nomine secundum eandem rationem substantia, significatam illo nomine: quia album non significat rationem substantialem, sed accidentalem.

Respondeo, negando minorem, ad cuius probationem dico rationem substantia positam in definitione, non significare rationem substantia de predicamento substantia, sed rationem essentialem: album autem, vt sic, significat rationem essentialem huic & illi albo, quatenus alba sunt. Imo satis probabile puto, quod ratio substantia in illa definitione capiatur pro ratione descriptiua ipsius nominis vniuoci vniuocantis, ita scilicet, vt illa sint vniuoca vniuocata, quæ conueniunt in eodem nomine secundum eandem explicationem & definitionem; siue ratio illa, quæ significatur per nomen, sit essentialis rebus, de quibus dicitur, siue accidentalis; vnde album vt sic, non solum quatenus dicitur de hoc & illo albo formaliter & reduplicatiue sumptis, de quorum est essentia, sed quatenus dicitur etiam de hoc & illo albo, specificatiue sumptis, hoc est, de hoc & illo pariete, quibus non est essentialis sed accidentale, est vniuocum.

8. Probatur hoc primo, quia nihil impedit quo minus ita capiatur ratio substantia. Secundo, quia communiter dicitur album esse vniuocum subiectis, de quibus dicitur. Tercio, quia omne vnum nomen, quod dicitur de multis, vel est vniuocum, vel æquiuocum, vel analogum: sed nomen album, vt dicitur de hoc & illo pariete, non est æquiuocum nec analogum: ergo est vniuocum ipsis. Quarto, quia eodem modo intelligenda est ratio substantia in definitione æquiuocorum, ac vniuocorum: sed in definitione æquiuocorum non intelligitur per illam ratio substantia de predicamento substantia, nec ratio, quæ sit essentialis æquiuocatis, de quibus dicitur nomen æquiuocum, sed ratio essentialis & formalis ipsius nominis, hoc est ratio illa, quæ significatur formaliter per nomen, quatenus nomen dicitur de pluribus: ergo similiter intelligenda est ratio substantia posita in definitione æquiuocorum. Probatur minor, quia alias studiosus, vt dicitur de homine ma-

Vniuocum
est de
essentia
vniuocatis

Quid æquiuocum
essentialiter.

Quid æquiuocum
denominatiue.

Vniuocum
non debet
esse de
essentia
vniuocatis

gno studij, & vt dicitur de homine virtute prädito, non esset nomen æquiuocum, quia licet diceretur de ipsis secundum diuersam rationem, tamen non dicitur de ipsis secundum diuersam rationem, quæ sit substantialis, hoc est de prædicamento substantiæ, nec quæ sit essentialis illis hominibus, vt patet: sed hoc est absurdum secundum omnes: ergo non debet intelligi ratio substantiæ posita in definitione æquiuocorum de ratione substantiali, hoc est, quæ sit de prædicamento substantiæ, nec de ratione, quæ sit essentialis rebus æquiuocatis.

9. *Dices*: si non intelligeretur per rationem substantiæ positam in definitione vniuocorum ratio essentialis, vniuoca non distinguerentur à denominatiuis; sed hoc est absurdum, quandoquidem agat Philosophus de denominatiuis, tanquam de aliquo distincto ab vniuocis & æquiuocis.

Respondeo negando maiorem: nam distinguuntur per hoc, quod vniuocum vniuocans, quæ tale, sit quid prædicabile de multis, denominatiuum autem, quæ tale, non sit sit prædicabile; nam si fuisset vnus fortis possibilis tantum, ly fortis esset denominatiuum denominans ipsum, non autem esset vniuocum vniuocans, vt patet.

10. *Obiicies secundo*, Deus prædicatur de tribus personis diuinis secundum eandem rationem substantiæ per nomen significatam: sed tamen non est terminus vniuocus, aut nomen vniuocum respectu ipsarum, nec illæ sunt vniuoca vniuocata respectu istius nominis: ergo mala est prædicta definitio vniuocorum, quandoquidem competat aliquibus, quæ non sunt vniuoca.

Respondeo, distinguendo minorem: si requiratur ad nomen æquiuocum, quod res significata multiplicetur in vniuocis vniuocatis; aut si requiratur ad vniuocata, quod res significata per nomen multiplicetur in ipsis, cōcedo minorem, & nego consequentiam cum sua probatione: quia, supposito quod id requiratur, intelligendum est, quod ratio vna significata per nomen vniuocum, & posita in definitione vniuocorum, debet esse ratio vna vniuersalis & abstracta à pluribus: talis autem ratio vna non significatur nomine Dei, & sic non erit nomen vniuocum, nec conueniet ipsi prædicta definitio: si non requiratur ad nomen vniuocum ratio vna abstracta à pluribus, in quibus multiplicatur, nego minorem.

11. *Si autem queratur*, an vere requiratur à parte rei ad nomen vniuocum, quod significet rationem vnā abstractam à multis, in quibus multiplicatur, an vero sufficiat quod sit ratio vna siue abstracta & multiplicata, siue non.

Respondeo, quæstionem esse de nomine, & dependere solummodo ab institutione & significatione huius nominis vniuoci. Verisimilius autem videtur, quod sufficiat rationem illam significatam nomine vniuoco esse vnā in multis, siue cum multiplicatione, siue sine multiplicatione. Ratio est *Primo*, quia in definitione vniuocorum non ponitur aliqua particula significans multiplicationem, aut non multiplicationem rationis significatæ per nomen: ergo gratis restringeretur illa vna ratio ad rationem multiplicatam, aut non multiplicatam; sed potius debet dici quod abstrahat à multiplicatione & non multiplicatione, & quod perinde sit, an multiplicetur, necne, ad hoc vt habeat vnitatem illam requisitam ad vniuocationem. *Secundo*, quia omne nomen dictum de pluribus, vel debet dici vniuoce, vel æquiuoce, vel analogice: sed nomen Deus & quodcumque aliud nomen dictum de pluribus, & significans vnā numero rationem in illis repperam, non dicitur de illis pluribus æquiuoce nec analogice; ergo vniuoce; & consequenter sufficit vna numero ratio in multis repperam, vt dicatur nomen ipsam significans vniuocum vniuocans, & vt dicantur illa plura vniuoca vniuocata.

Confirmatur, quia rationes diuersæ, significatæ per nomen æquiuocum, non debent esse rationes vniuersales, & propterea nomen *Petrus* est nomen æquiuocum respectu huius Petri & illius Petri, cum tamen non significet rationem vllā vniuersalem: ergo ratio vna, significata per nomen vniuocum, non debet esse ratio vna

vniuersalis, sed sufficit quod sit vna, quomodocumque sit vna.

12. *Obiicies tertio*. Nomen *ens* non est vniuocum substantiæ & accidenti, nec Deo & creaturæ, & tamen conuenit ipsis secundum eandem rationem, quæ etiam multiplicatur in substantia & accidente, Deo & creaturæ: ergo non est bona prædicta definitio vniuocorum. Probatur maior, quia nomen *ens*, non significat rationem perfecte abstractam à Deo & creaturis, substantia & accidentibus: sed nomen vniuocum debet significare rationem perfecte abstractam; præterea nomen vniuocum debet significare rationem communem vniuocatis ita, vt ratio significata per ipsum non sit in vno ex vniuocatis cum dependentia ab altero ex illis: sed ratio entis est in creatura cum dependentia à Deo: ergo non potest esse vniuoca Deo & creaturis.

Respondeo negando maiorem: ad cuius probationem dico, quod sufficiat ad vniuocationem, rationem vnā communem pluribus esse vnā determinatam, siue perfecte abstrahatur, siue non, & siue sit in vno ex vniuocatis cum dependentia ab alio vniuocato, siue non; neque enim in definitione vniuocorum ponitur vlla particula, ex qua colligatur quod ratio illa vna debeat esse perfecte abstracta, aut quod debeat esse in vniuocatis omnibus sine dependentia vnus ab altero, & propterea gratis dicitur quod debeat sic intelligi. Deinde omnes fatentur communis quod nomen *ens* non sit æquiuocum Deo & creaturis, substantiæ & accidentibus; sed si non esset vniuocum illis, esset æquiuocum illis, quia inter nomen prædicabile de multis vniuoce, & æquiuoce non datur medium, vt dicemus quæstione sequenti. Hoc autem totum melius intelligitur ex dicendis in Metaphysica de vniuocatione entis vt sic ad Deum & creaturam, substantiam & accidentem.

13. *Obiicies vltimo*: Individuum vt sic, primo intentionaliter sumptum dicitur secundum eandem rationem de quolibet individuo: sed non est vniuocum respectu eorum, quia ab indiuiduis non potest abstrahi aliqua ratio communis, neque enim est vlla ratio communis ipsis quæ talia sunt, maxime secundum Doctorem & nos, vt patet ex dictis *disput. de indiuiduo num. 10.* ergo mala est prædicta definitio.

Respondeo hic etiam esse quæstionem de nomine: nam si ad nomen vniuocum requiratur quod significet conceptum determinatum vnū abstractum à pluribus, in quibus multiplicetur, indiuiduum non erit nomen vniuocum, sed æquiuocum analogum propter dicta in alia illa disputatione: si vero sufficiat conceptus aliquis indeterminatus & vagus, qui potest dici de pluribus habentibus aliquam proportionem inter se, ratione cuius talis conceptus indeterminatus & vagus possit dici de quolibet ex illis, tum indiuiduum, vt sic, erit vniuocum omnibus indiuiduis. De quo tamen hic nihil determino, sed remitto resolutionem ad disputationem præmissam.

CONCLUSIO III.

14. *Bene definiuntur denominatiua esse illa, quæ ab aliquo solo differentia casu, nominis sumunt appellationem.* Hæc est communis cum Philosopho hic. Hanc definitionem explicant communiter sic, vt sensus sit quod denominatiuum sit terminus concretus deriuatus à termino abstracto non solum quoad sensum, sed quoad vocem, & distinctus ab illo finali cadentia vocis; vt fortis deriuatur à fortitudine, & distinguitur ab ipsa in recto seu nominatiuo casu littera aut syllaba finali, quia ly fortis definit in s, & fortitudo in o.

Sed contra hanc explicationem facit, quod ly *musica* adiectiue sumptum sit terminus denominatiuis: sed quamuis deriuatur non solum sensu, sed etiam termino abstracto *musica* substantiue sumpto, tamen non differt ab illo finali cadentia aut vllō modo quoad vocem in vltimo casu: ergo non est bona prædicta explicatio, quandoquidem ea supposita non comprehenderentur omnia denominatiua in prædicta definitione.

Confirmatur, quia studiosus, vt significat idem quod virtuosus

Descriptio
denominati-
uorum.

Explicatio
aliquorum

virtuosus seu præditus virtute, est terminus denominatiuus, sed non deriuatur quoad vocem ab vilo termino abstracto conueniente cum ipso in significatione, quia terminus abstractus, qui conuenit cum illo in significatione, est virtus; studiosus autem non deriuatur vocaliter à virtute, vt patet: studium autem quod posset esse abstractum eius, quatenus significat hominem datam studiis, & à quo posset deriuari vocaliter, non est abstractum eius, vt significat præditum virtute, vt patet.

15. Respondens Complutenses ad replicam, quod per accidens sit quod musica adiectiue sumpta non differat finali desinentia à musica substantiue sumpta. Et ad confirmationem dicunt, quod studiosus non sit denominatiuus terminus in rigore, vt hic definitur terminus denominatiuus, quia solum est denominatiuus re, & non voce, denominatiua autem rigorosa debent esse denominatiua voce, & re.

Contra primam ex his responsionibus facit, quod tam per se musica adiectiue sumpta non differt à musica substantiue sumpta, quam per se fortis differt à fortitudine; & tam per accidens est, quod fortis differt à fortitudine, quam quod musica adiectiue sumpta non differat à musica substantiue sumpta, vtrumque enim oritur ex hominum libera institutione.

Deinde, si contra aliquam definitionem inueniretur aliqua vna instantia, in qua aut non conueniret alicui vni contento sub definito, aut conueniret alicui non contento sub definito, sine dubio definitio non valeret: v. g. si inueniretur vnus homo, qui non esset animal rationale, aut aliquid aliud quod non esset homo, sed esset animal rationale, certe animal rationale non esset bona definitio hominis; nec posset saluari eius bonitas dicendo, quod per accidens tantum accideret, vt reperiretur aliquid non homo, cui conueniret, aut aliquis homo, cui non conueniret, ergo si reperiretur aliquid denominatiuum, cui non conuenit prædicta definitio, etiam si per accidens reperiretur, definitio non erit bona, nec saluari potest recurrendo ad per accidens.

16. Præterea, quemadmodum illi authores dicunt quod studiosus non sit denominatiuum rigorose sumptum, vt hic definitur, quia non deriuatur ab abstracto suo, ita melius dicerent, quod ly *musica* adiectiue sumptum non sit denominatiuum rigorose sumptum ex eo, quod non differat casu ab abstracto, si illa differentia sit necessaria ad denominatiuum rigorose sumptum, prout est secundum ipsos.

Contra secundam responsionem ad confirmationem facit primò, quod Philosophus diminute procederet si non definiret omne denominatiuum, præsertim cum ad doctrinam Logicæ, & alias scientias acquirendas tam deferuiat denominatiuum, quod est tale sola re, quam illud quod est tale re & nomine. Secundò quod gratis dicatur requiri ad denominatiuum rigorosum ista vocalis deriuatio. Tertiò quod definitio prædicta sic explicari possit, vt comprehendat denominatiua non solum re & voce, vt fortis respectu fortitudinis, sed sola re, & non voce, vt studiosus respectu virtutis. Sed sine dubio si sic explicari possit, melius sic explicatur, quam ita, vt sola comprehendat denominatiua re & voce, & denominatiua illa, quæ differunt finali cadentia nominis seu vocis.

17. Alij sic explicant denominatiua, vt velint quod sint illa, quæ prædicantur de multis secundum eandem rationem, quæ ratio est accidentaliter illis multis; ad differentiam scilicet vniuocorum, quæ prædicantur de multis secundum eandem rationem ipsis essentialiter. Sed hæc explicatio vix quadrari potest, aut accommodari ad prædictam descriptionem Philosophi, in qua nec vna particula ponitur, in qua significetur, quod denominatiua debeant, quæ talia, prædicari de multis. Deinde in hac explicatione non ponitur aliquid correspondens illis particulis, quæ ab aliquo solo differentia casu secundum nomen sumunt appellationem.

18. Itaque dicendum est, sensum prædictæ definitionis esse, quod denominatiua sint illa concreta, quæ dicuntur de aliquo ex eo, quod afficiatur intrinsece, vel extrinsece

aliqua forma accidentali, propter quam formam sic afficientem res denominatiuas, terminus denominatiuus dicitur de illis. Dicitur ergo quod terminus denominatiuus sumit appellationem nominis ab aliquo, nimirum à nomine abstracto, seu à forma significata per illud nomen abstractum, quia non diceretur de re denominata, nisi illa forma afficeret illam rem; vt fortis non diceretur de leone, nisi inesset ipsi fortitudo; nec visus diceretur de pariete, nisi visio esset ad ipsum terminatam; nec studiosus pro virtuoso de homine, nisi inesset ipsi virtus. Dicitur etiam quod solo casu differat ab ipso, quia terminus concretus significat eandem formam, quam significat terminus abstractus, sed cum hac differentia, quod terminus concretus, seu denominatiuus significet ipsam, vt adiacentem, seu denominantem, terminus verò abstractus significet ipsam secundum se; quæ differentia est casualis seu accidentaliter.

Adde pro maiori huius rei declaratione & authorum veterum intelligentia, denominatiuum denominans vocari terminum illum concretum, qui dicitur de aliquo, vt iustus; & terminum denominantem esse formam abstractam seu vocem, quæ eam significat, vt iustitia; denominatiuum denominatum esse rem illam, de qua dicitur terminus denominatiuus denominans, seu quam afficit & denominat, vt homo: quæ tamen appellationes sunt factis barbaræ, præstaretque sine dubio dicere quod subiectum formæ esset denominatum ab ipsa, & ipsa forma esset denominans tale subiectum, & vox concreta esset denominatiuum: sed hoc est parui momenti.

QVÆSTIO II.

Vtrum dentur aliqua analogia media inter æquiuoca & vniuoca.

19. Per analogia hic intelliguntur termini aliqui, qui dicuntur de pluribus, & nec sunt æquiuoca, nec vniuoca respectu eorum; & queritur, an dentur tales termini. Pro qua re melius intelligenda aduertendum, nō posse esse in controuersia, quin dentur aliqui termini, qui dicuntur de multis, & non vniuoce, sicut homo dicitur de Petro & Paulo; nec æquiuoce, sicut Gallus dicitur de gallinaceo & homine nato in Gallia: nam certum est, quod sanum dicatur alio modo de vna & medicina, quam homo de Petro & Paulo, aut Gallus de gallinaceo & homine nato in Gallia; nam homo ita dicitur de Petro & Paulo, vt si queratur quid significet quando dicitur de vtroque, eadem explicatione satisfiat: quod non est verum de sano, vt dicitur de vna & medicina, sed diuersa omnino explicatio adhibenda est.

Rursus, Gallus dicitur de gallinaceo, & homine nato in Gallia secundum tam diuersam rationem, vt significatio ipsius, quatenus dicitur de vno ex illis, non inuoluat aliquem ordinem, aut subordinacionis, aut dependentiæ, aut proportionis, aut attributionis ad significatum ipsius, vt dicitur de altero. Sanum autem dicitur de vna, quatenus vna est signum naturale sanitatis aut præsentis, aut absentis: dicitur vero de homine, quatenus significat debitam dispositionem humorum & partium ipsius: vnde significatum ipsius, quatenus dicitur de vno, dicit aliquem ordinem ad significatum illius, quatenus dicitur de altero, & propterea data opera illud nomen, quod dictum est de homine habente debitam illam dispositionem, dicitur de vna, quia significat illam debitam dispositionem inesse, vel abesse homini. Quod si vocaretur huiusmodi terminus analogus, vt secundum omnes vocari debet, non potest dubitari quin detur, & si eatenus vocaretur medium inter vniuoca, & æquiuoca illa, quæ dicuntur de pluribus, vt Gallus dicitur de gallinaceo & homine nato in Gallia (quæ vocantur æquiuoca à casu) quatenus illa analogia non habent rationem vnius vel alterius, sed rationem distinctæ rationis ab illis, non posset controuerti, quin darentur analogia media inter æquiuoca sic accepta, & vniuoca.

Vnde controuersia sola potest esse, an detur aliqui termini, qui dicuntur de pluribus, præsertim cum multiplicatione, qui nec habeant rationem vniuocorum, nec æquiuocorum, prout vniuoca & æquiuoca describuntur supra

Quid sane analogia.

Quo sensu possunt admitti analogia media inter æquiuoca & vniuoca.